115 257 250

Nobilissime, Mag.ce atq Amplissime Dne,
Patrone Gratiosissime;

Ablacta hoc fit consuetudine meâ, quod toties verecundiæ limites perfringam, attamen, cum necessitas non habeat legem, sed ipsa det & sit lex temporis, ad eamq omnia nostra nos adaptare deceat, eo facilius ve-niam me impetraturum spero. Quandoquidem n. Colonellus Wartenburgius, laude militari vir maximus, cui, ut fama loquitur, Mars omnem suum favorem donavit, Overlackeri partes suscepit, & ~~[illegible]~~ Suc-cessor huius à Rege Galliarum declaratus, ~~quo fieri~~ eo noie Mag.ce tuæ Dom. occurro, & per benevolen-tiam tuam, quâ eos omnes prodesse studes, imo & gaudes atq exultas, rogatam te volo, mei apud illum de meliori meminisse, & si fieri possit, in prius defuncti officii fastigium Auditoriatus Generalis totius eius Exercitus, sive Vicegeneralis, recommendatione tuâ, quam scio magnum pondus habituram promovere digneris. Cumq nihil cogitari possit divinius, quam bene de omnibus mereri, ascribes hanc molestiam vel humanitati tuæ, vel veniam dabis impatienti desiderio meo, vel occasionis celeritati. Ut sermo n. percrebrescit, si non cras, tamen brevi Wesaliam abiturus. Fac quæso in mei gratiam, quod potes, ego bene ominari non desistam, & si quid est in me iudicii, impetratu facile tibi erit, si instanter volueris. Ignoscat mihi Genius tuus precor, facio n. quod Imperatores instructâ acie solent, qui etiam eos maxime hortantur, quos ab animo paratiores ad præliandum esse vident. Interim ego in amore tui, veneratione & admiratione virtutum tuarum, eruditionisq con-stanter pergam & gratus aliquando ero, si me bonus rursum respexerit Jupiter. Vale Vir Nobiliss. Magce atq Amplissime. Dabantur Hagæ Comitis. 10 Id. April. Ao. 1635.

Nobiliss. Mag.cæ atq Ampliss
tuæ Dignitatis

Humilimus servus

I. H. à Traunstorff
mp

Syf. M.S.S. No 711

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102

Nobilissimo, Magco atq Amplissimo Viro,
Domino Constantino Hugenio, Dno à Zuy-
licher, Equiti, Illustrissimi Principis Au-
raniæ à Consiliis & Secretis, Dno suo gra-
tiosissimo

Hagæ comitis

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102

XXII

Nobilissime, Mag.ce atq; Ampliss.me Dne,
Patrone Gratiosissime;

Quis successurus Bœmondo quæritur? isthinc
Poloniam versus pacis ut Author eat?
Honarthus sapiens famâ nunc dicitur esse,
Inter Pierides nobile nomen habens.
Huic me ut commendes Vir te Magnifice, quæso,
Gratus ero quondam, Sole oriente meo.

Nobiliss. Mag.cæ atq; Ampliss.mæ
tuæ Dominat.

Kon. Mart. A.o à pariente
Virgine 1635.

Paratissimus servus

I. H. à Traunsdorff
mpp.

Syst. MS. 1.
Nr. 211.

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102

Nobiliſsimo, Mag.co atq Ampliſsimo Viro
Dn̄o Constantino Hugenio, Equiti, Dn̄o in
Zuylichem, Illmi Principis Auraci à
Consilijs & secretis, Dn̄o suo gratioſiſsimo

Hagæ Comitis.

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102

250

253

Nobilissime Domine.

Contractæ nuper Amicitiæ fiducia me erigit
ad implorandum præsidium tuum, quo sine damno
id præstes, quod nec aliud præstare potest.
Namque eam ~~tum~~ mihi liceat Amor tui indicit
ut ...

259

XXIII

252

Admonitorium mei.

ad

Nobilissimum, Strenuissimum, Mag:cum atque Amplissimum
Virum, Dnum Constantinum Hugenium, Equitem
Dnum à Zuylichem, Illmi Principis Auriaci
Consiliarium & Secretarium; Dnum
meum Gratiosissimum.

Judicium, ingenium, pietas, facundia, candor,
Nobilitas, gravitas, gratia, forma, lepor,
Doctrina omnigena ac in quavis arte celebri,
Quicquid amat tellus, quicquid & astra poli,
Si quid præterea mortalem rarus orbe,
Commendat si qd Principis aula colit,
Cuncta hæc apparent HVGENI Nobilis in te,
Qui cor, quive manus Principis Auriaci.

Nobiliss. Strenuiss. Mag:cæ atque
Ampliss. tuæ Dignitatis

Promptissimus servus

I. H. à Traunstorff
mp

Syh. M.S.S.
Nr 211.

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102

© British Library
Add MS 22953, f. 250-251
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1102